**The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)**

Augustinus de sermone domini in monte (fol.4va-vb)

1. Beati pacifici. pacifici in semet ipsis sunt. qui omnes animi sui motus. componentes et subicientes rationi. idest menti et spiritui. carnalesque concupiscentias habentes edomitas. fiunt regnum dei. in quo ita ordinata sunt omnia. ut id quod est in homine precipuum et excellens hoc imperet ceteris non reluctantibus que sunt nobis. bestiisque communia. atque id ipsum quod excellit in homine id est mens et ratio subitiatur potiori. quod est ipsa ueritas unigenitus filius dei. Neque enim imperare inferioribus potest nisi superiori. se ipsa subiciat.

   BEATI PACIFICI, QVONIAM IPSI FILII DEI VOCABVNTVR. In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideo filii dei pacifici, quoniam nihil resistit deo et utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semet ipsis sunt, qui omnes animi sui motus conponentes et subicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine praecipuum et excellens, hoc imperet ceteris non reluctantibus, quae sunt nobis bestiisque communia, atque id ipsum quod excellit in homine, id est mens et ratio, subiciatur potiori, quod est ipsa ueritas unigenitus dei filius. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subiciat.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 1.2.9 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.6, ll.109-121).

2. Non relinquitur sine dolore. quod cum delectatione retinetur.

   Hic ergo esuritur et sititur iustitia, et multum necessaria est fortitudo, quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 1.3.10 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.8, ll.161-164).

3. Iustum consilium est. ut qui se a potentiori adiuuari uult. adiuuet et infirmiorem. in quo est ipse potentior.

   Est autem iustum consilium, ut qui se a potentiore adiuuari uult, adiuuet infirmiorem in quo est ipse potentior.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 1.3.10 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.8, ll.167-169).

4. Sapiencia congruit pacificis. in quibus iam ordinata sunt omnia. nullusque motus aduersus rationem rebellis est. sed cuncta obtemperant spiritui hominis. cum et ipse obtemperat deo.

   Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia nullusque motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet deo, de quibus hic dicitur: BEATI PACIFICI.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 1.4.11 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.10-11, ll.217-221).

5. Qui uideris mulierem. ad concupiscendum est idest hoc fine et hoc animo attenderit ut eam concupiscat. quod iam non est titillari delectatione carnis. sed plane consentire libidini. ita ut non refrenetur illicitus appetitus. sed si facultas data fuerit sacietur.

   Sane considerandum est quod non dixit: Omnis qui concupiuerit mulierem, sed: qui uiderit mulierem ad concupiscendum, id est hoc fine et hoc animo adtenderit, ut eam concupiscat; quod iam non est titillari delectatione carnis sed plane consentire libidini, ita ut non refrenetur inlicitus appetitus sed, si facultas data fuerit, satietur.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 1.12.33 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.36, ll.775-780).

6. Quisquis se uult uideri quod non est. ypocrita est.

   Sic in ecclesia uel in omni uita humana quisquis se uult uideri quod non est hypocrita est.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.1.5 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.95, ll.97-101).

7. Laus humana non appeti a recte faciente. sed subsequi debet recte facientem ut illi proficiant qui etiam ymitari possunt quod laudant.

   Laus enim humana non appeti a recte faciente, sed sequi debet recte facientem, ut illi proficiant qui etiam imitari possunt quod laudant, non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse quem laudant.

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.1.5 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.96, ll.109-113).

8. Nemo frangitur aduersorum molestia. qui prosperorum delectatione non capitur.

   Sed cum temptationes periculosae, in quas inferri atque induci perniciosum est, aut prosperis rebus temporalibus aut aduersis oriantur, nemo frangitur aduersarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.34 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.125, ll.756-760).

9. Nolite iudicare. hoc loco nichil aliud nobis precipi existimo. nisi ut ea facta que dubium est quo animo fiant. in meliorem partem interpretemur. quod enim scriptum est. ex fructibus eorum cognoscetis eos de manifestis dictum est. que non possunt bono animo fieri.

   Et quoniam, cum ista uel procurantur in futurum uel, si causa non est quare illa inpendas, reseruantur, incertum est quo animo fiat, cum possit simplici corde fieri, possit et duplici, oportune hoc loco subiecit: NOLITE IVDICARE, NE IVDICETVR DE VOBIS; IN QVO ENIM IVDICIO IVDICAVERITIS, IVDICABITUR DE VOBIS; ET IN QVA MENSVRA MENSI FVERITIS, REMETIETUR VOBIS. Hoc loco nihil aliud nobis praecipi existimo, nisi ut ea facta quae dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: EX FRVCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS, de manifestis dictum est, quae non possunt bono animo fieri, sicuti sunt stupra uel blasphemiae uel furta uel ebriosita et si qua sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur, dicente apostolo: *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?*

   Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.18.59 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.154-5, ll.1346-1359).

10. Sunt quedam facta media. que ignoramus quo animo fiant. quia et bono et malo fieri possunt. de quibus temerarium est iudicare. maxime ut condempnemus.

    Sunt ergo quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.18.60 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.156, ll.1375-1378).

11. Duo sunt in quibus temerarium iudicium cauere debemus. cum incertum est quo animo quid factam sit. uel incertum est. qualis futurus sit. qui nunc uel malus uel bonus apparet.

    Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus: cum incertum est quo animo quidque factum sit, uel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc uel malus uel bonus apparet.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.18.61 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.157, ll.1393-1396).

12. Pie cauteque uigilandum est. ut cum aliquem reprehendere uel obiurgare. nos neccessitas coegerit. primum cogitemus. utrum tale sit uicium quod numquam habuimus. uel quo iam

caruimus. et si nunquam habuimus. cogitemus nos homines esse. et habere potuisse. Si uero habuimus et non habemus. tangat memoriam communis infirmitas. ut illam reprehensionem aut obiurgationem non odium. sed misericordia precedat. ut siue ad correptionem eius. propter quem id facimus. siue ad peruersionem ualuerit. nam incertus est exitus. nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmet ipsos inuenerimus in eo esse uicio in quo est ille quem reprehendere parabamus. non reprehendamus neque obiurgemus. sed tamen congemiscamus. et non illum ad obtemperandum nobis. sed ad pariter conandum inuitemus.

Et ideo pie cauteque uigilandum est, ut cum aliquem reprehendere uel obiurgare necessitas coegerit, primo cogitemus, utrum tale sit uitium quod numquam habuimus uel quo iam caruimus. Et si numquam habuimus, cogitemus et nos homines esse et habere potuisse; si uero habuimus et non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut obiurgationem non odium sed misericordia praecedat, ut siue ad correctionem eius propter quem id facimus siue ad peruersionem ualuerit – nam incertus est exitus –, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmet ipsos inuenerimus in eo esse uitio in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus; et non illum ad obtemperandum nobis sed ad pariter conandum inuitemus!

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.19.64 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.160-1, ll.1466-1481).

13. Raro et magna neccessitate obiurgationes adhibende sunt. ita tamen ut etiam in hiis ipsis non nobis sed deo ut seruiatur instemus.

    Raro ergo et magna necessitate obiurgationes adhibendae sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis sed deo ut seruiatur instemus.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.19.66 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.162, ll.1502-1504).

14. Petite et accipietis. petitio pertinet ad impetrandam sanitatem. firmitatemque animi. ut ea que precipiuntur implere possimus. Inquisitio autem ad inueniendam ueritatem. cum enim beata uita actione et cognitione compleatur. actio facultatem uirium. contemplatio manifestationem rerum desiderat.

    Oportunissime subiecit dicens: PETITE, ET DABITVR VOBIS; QVAERITE, ET INVENIETIS; PVLSATE, ET APERIETUR VOBIS. OMNIS ENIM QVI PETIT, ACCIPIT, ET QVI QVAERIT INVENIT, ET PVLSANTI APERIETVR. Petitio pertinet ad inpetrandam sanitatem firmitatemque animi, ut ea quae praecipiuntur implere possimus, inquisitio autem ad inueniendam ueritatem. Cum enim beata uita actione et cognitione compleatur, actio facultatem uirium, contemplatio manifestationem rerum desiderat.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.21.71 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.169, ll.1641-1649).

15. Id quod dictum est. quecumque uultis ut faciant uobis homines et cetera. non usitate ac passim. sed proprie accipi oportet. uoluntas namque non est nisi in bonis. Nam in malis flagitiosisque factis. cupiditas proprie dicitur. non uoluntas.

    Id enim quod dictum est: quaecumque uultis, non usitate ac passim sed proprie dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur non uoluntas.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.22.74 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.172, ll.1711-1714).

16. Non omnis qui dicit michi domine. et cetera. ille proprie dicit. qui uoluntatem ac mentem suam sono uocis enunciat.

    Dominus uero generaliter posuit uerbum quo ait: NON OMNIS QVI DICIT MIHI: DOMINE, DOMINE, INTRABIT IN REGNVM CAELORVM. Videtur enim dicere etiam ille qui nec uult nec intellegit quod dicit; sed ille proprie dicit qui uoluntatem ac mentem suam sono uocis enuntiat.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.25.83 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.183, ll.1915-1920).

17. Vere ac proprie illi dicunt. a quorum uoluntate atque mente non abhorret prolatio sermonis sui. secundum quam significationem dixit apostolus. nemo potet dicere. dominus Iesus nisi in spiritu sancto.

    Vere autem ac proprie illi dicunt a quorum uoluntate atque mente non abhorret prolatio sermonis sui; secundum quam significationem dixit apostolus: *Nemo potest dicere: dominus Iesus nisi in spiritu sancto*.

    Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2.25.83 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.184, ll.1929-1932).